

necessarii erant; idque ex facultatibus meis, exque pecuniis, quas è domo paterna attuleram. Ne vero putes me tibe exprobrantem hæc dicere: sed pro his omnibus unam postulo gratiam, ne me altera viduitate involvas, neu sopitum jam luctum denuo excites: verum mortem expectes meam; hinc fortasse brevi emigrandum mihi erit. Nam juvenes quidem ad provectam perducere senectutem sperare possunt; nos autem qui consenuimus, nihil aliud, quam mortem præstolamur. Cum itaque me terræ traderis, patrisque ossibus admiscueris, longas suscipito peregrinationes, et quoscumque volueris pelagus trajicito: nemo tunc prohibiturus est. Cæterum donec respiramus, contubernium meum ne respuas; neu in Dei offensionem temere incurras, dum nos, nihil tamen læsus à nobis, tot malis involves. Etenim si conqueri potes, quod te ad mundanas curas pertraham, ac negotiis prospicere tuis cogam, ne leges naturæ, ne educationem, ne consuetudinem neu aliud quidpiam reverearis, sed nos tanquam insidiatores et inimicos fuge; sin vero nihil non agimus, ut tibi otium paremus ad vitam instituentiam; si minus aliud vinculum certe hoc unum te apud nos detineat. Nam etiamsi te à sexcentis aliis amari dicas, nullus tibi tantam libertatem procuravit, quandoquidem nemo est, cui existimatio tua æque ac mihi, cara sit. (S. Joann. Chrys.: *De Sacerdotio*, lib. I, n. 5, tom. I, fol. 363.)

La interesantísima carta de San Bernardo á su sobrino Roberto, que hemos citado en la página 11, se halla en el tom. I, fol. 1 de las obras del Santo.

Cum autem ad alios loquimur, verbo intus manenti ministerium vocis adhibemus, aut alicujus signi corporalis, ut per quandam commemorationem sensibilem tale aliquid fiat etiam in animo audientis, quale de loquentis animo non recedit. Nihil itaque agimus per membra corporis in factis dictisque nostris, quibus vel approbantur vel improbantur mores hominum, quod non verbo apud nos intus edito prævenimus. Nemo enim volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit. (S. Aug.: *De Trinit.*, lib. IX, cap. VII, tom. VIII, fol. 967.)

Duæ sunt res quibus nititur omnis tractatio Scripturarum: modus inveniendi quæ intelligenda sunt et modus proferendi quæ intellecta sunt. (*De Doct. christ.*, libro I, cap. I, tom. III, fol. 19.)

«Nam et res divinas mente consequi arduum et ver-

bis explicare difficile...» etc. (S. G. Nazianc., Orat. XXVI, tomo I, fol. 397.)

Geminum est lectionis studium: primum, quomodo Scripturæ intelligantur: secundum, qua utilitate vel dignitate dicantur. Erit enim antea quisque promptus ad intelligendum quæ legit: sequenter idoneus ad proferendum quæ didicit. (S. Isid. Hispal., *Sent.*, lib. III, cap. VIII, n. 5, tom. II, fol. 100.)

LECCION II.

El arte auxilia y perfecciona las dotes que tiene el hombre para ser naturalmente elocuente.

«Debet igitur divinarum Scripturarum tractator et doctor, defensor rectæ fidei ac debellator erroris, et bona docere, et mala dedocere; atque in hoc opere sermonis conciliare adversos, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant intimare. Ubi autem benevolos, intentos, dociles aut invenerit, aut ipse fecerit, cætera peragenda sunt, sicut postulat causa. Si docendi sunt qui audiunt, narratione faciendum est, si tamen indigeat, ut res de qua agitur innotescat. Ut autem quæ dubia sunt certa fiant, documentis adhibitis ratiocinandum est. Si vero qui audiunt movendi sunt potius quam docendi, ut in eo quod jam sciunt, agendo non torpeant, et rebus assensum, quas veras esse fatentur, accommodent, majoribus dicendi viribus opus est. Ibi obsecrationes et increpationes, concitationes et cœrcitiones, et quæcumque alia valent ad commovendos animos, sunt necessaria. Et hæc quidem cuncta quæ dixi, omnes fere homines in iis quæ eloquendo agunt facere non quiescunt: sed cum alii faciant obtuse, deformiter, frigide; alii acute, ornate, vehementer; illum ad hoc opus unde agimus, jam oportet accedere, qui potest disputare vel dicere sapienter, etiam si non potest eloquenter, ut prosit audientibus, etiamsi minus quam prodesset, si et eloquenter posset dicere. (S. Aug.: *De Doct. christ.*, lib. IV, capitulum IV et V, tomo III, fol. 91.)

Sunt etiam quædam præcepta uberius disputationis, quæ jam eloquentia nominatur, quæ nihilominus vera sunt quam vis eis possint etiam falsa persuaderi: sed quia et vera possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed ea male utentium perversitas. Nam neque hoc ab hominibus

institutum est, ut caritatis expressio conciliet auditorem, aut ut facile, quod intendit, insinuet brevis et aperta narratio, et varietas ejus sine fastidio teneat intentos; et cæteræ hujusmodi observationes; quæ sive in falsis sive in veris causis, veræ sunt tamen, in quantum vel sciri vel credi aliquid faciunt aut ad expetendum fugiendumve animos movent, et inventæ potius quod ita se habeant, quam ut ita se haberent institutæ. (S. Aug.: *De Doct. christ.*, lib. II, cap. XXXVI, tom. III, fol. 60.)

Sed recte ista fortasse ratiocinatio nominatur, ut ratio sit quiddam mentis adspectus, ratiocinatio autem rationis inquisitio, id est, adspectus illius per ea quæ adspicienda sunt, motio. (S. Aug.: *De quant. animæ*, cap. XXVII, n. 53, tom. I, fol. 427.)

El mismo Santo Doctor, desde el cap. XI del lib. II *De ordine*, despues de haber examinado la razon humana y sus facultades, observa que el hombre no hubiera podido vivir en sociedad sin la facultad de expresar los fenómenos de su alma. De aquí infiere la necesidad de la palabra y consigna el origen de la escritura, gramática, prosodia, dialéctica, retórica, música, poesía, versificación, ritmo, geometría y astronomía. (Tom. I, fol. 1009.)

Verum hæc et similes artes non illis solis sed communi hominum naturæ erant adscribendæ. Siquidem homines diligenti naturæ contemplatione et observatione, artes inveniunt: hinc in omniū ore est artem naturæ esse imitationem. Si ergo illi in his artibus, quibus navarunt operam, periti evaserunt, non idcirco dii sed potius homines existimandi sunt. Nec enim artes ab illis sunt profectæ, sed ipsi in artibus naturam imitati sunt. Nam cum homines, uti ex hominis definitione constat, natura sint scientiæ capaces: nil mirum, si illi humano ingenio in suam ipsorum naturam intuentes, ejusque percepta cognitione, artes excogitaverint... Etenim litteras Phœnices invenerunt: poësim heroicam Homerus, dialecticam Zeno Eleates: rhetoricam, Corax Syracussius. (S. Athanas.: *Orat. contra Gentes*, n. 18, tom. I, part. I, fol. 18.)

Quoniam si acutum et fervens adsit ingenium, facilius adhæret eloquentia legentibus et audientibus eloquentes, quam eloquentiæ præcepta sectantibus... Si autem tale desit ingenium, nec illa rhetorica præcepta capiuntur; nec, si magno labore inculcata quantulumque ex parte capiuntur, aliquid prosunt. (S. Aug.: *De Doct. christ.*, lib. IV, cap. III, tom. III, pag. 90.)

«Si enim... ea quæ velut oratoria arte discuntur non observarentur et notarentur, et in hanc doctrinam, non redigerentur, nisi prius in oratorum invenirentur ingeniis...» etc. (S. Aug.: *De Doct. christ.*, lib. IV, cap. VII, fol. 98.)

Las palabras de San Jerónimo con que hemos concluido la lección II en la página 14 se hallan en el Prefacio de libro III del Comentario sobre la carta á los galatas, tom. IV, parte primera, fol. 289.

LECCION III.

Redi mecum humana infirmitas, redi ergo. Humana ipsa comprehendamus, si possumus. Homines sumus et nos qui loquimur, et hominibus loquimur, et sonum vocis edimus. Ad aures hominum sonum vocis nostræ perducimus, et per nostræ vocis sonum et intellectum quomodocumque per aurem in corde ponimus. Hinc ergo quod possumus, ut possumus, eloquamur; hoc comprehendamus. Si autem neque hoc comprehendere valuerimus, ad illud, quid sumus? Ecce auditis me: verbum facio. Si quis hinc exeat et interrogetur foris quid hic agitur, respondet: verbum Episcopus facit. Verbum facio de Verbo. Sed quale verbum, de quali Verbo? Mortale verbum, de immortali Verbo; mutabile verbum, de immutabili Verbo; transitorium verbum, de æterno Verbo. Tamen attendite verbum meum. Dixeram enim vobis Verbum Dei ubique totum est. Ecce facio vobis verbum: ad omnes pervenit quod dico. Ut ad omnes perveniret quod dico, numquid divisistis quod dico? Si pascerem vos, ut non mentem vestram, sed ventrem implere vellem, et ponerem vobis panes quibus saturaremini, nonne panes meos divideretis inter vos? Numquid possent panes mei ad unumquemque vestrum pervenire? Si ad unum pervenirent, ceteri nihil haberent: ecce loquor, et omnes habetis; parum est quia omnes habetis: et omnes totum habetis. Pervenit ad omnes totum, ad singulos totum. O mirabilia verbi mei! Quid est ergo Verbum Dei? Aliud audite. Dixi: quod dixi processit ad vos, et non recessit à me. Pervenit ad vos, nec separatum est è me. Antequam dicerem, ego habebam, et vos non habebatis: dixi, et vos habere cœpistis, et ego nihil perdidit. O miraculum verbi mei! Quid est ergo Verbum Dei? De parvis magna conjicite. Considerate terrena, laudate cœlestia. Creatura sum, creatura estis: et tanta

miracula fiunt de verbo meo, in corde meo, in ore meo, in voce mea, in auribus vestris in cordibus vestris. (Sancti August., serm. CXX de verbis Joann., n. 3, tom v, fol. 677.)

San Agustin, no sólo llama milagro á la palabra, como acabamos de ver, sino que la compara con el misterio de la Encarnacion, para explicar su posibilidad.

Nos loquimur verba volantia et transeuntia: mox ut sonuerit ore tuo verbum tuum, transit, peragit strepitum suum et transit in silentium. Numquid potes sequi sonum tuum, et tenere ut stet? Cogitatio tamen tua manet et de ipsa cogitatione manente dicis multa verba transeuntia. Quid dicimus, Fratres? Deus cum loqueretur, adhibuit vocem, adhibuit sonos, adhibuit syllabas? Si adhibuit ista, qua lingua locutus est? Hebræa, an Græca, an Latina? Ibi necessariæ linguæ, ubi distinctio gentium. Ibi autem nemo potest dicere, illa lingua, vel illa lingua locutum esse Deum. Cor tuum adtende. Quando concipis verbum quod dicas: dicam enim, si potero, quod sin nobis attendamus, non unde illud comprehendamus: quando ergo concipis verbum quod proferas, rem vis dicere, et ipsa rei conceptio in corde tuo jam verbum est: nondum processit, sed jam natum est in corde et manet ut procedat: adtendis autem ad quem procedat: cum quo loquaris: si Latinus est, vocem Latinam quæris: si Græcus est, verba Græca meditaris; si Punicus est, adtendis si nosti linguam Punicam; pro diversitate auditorum diversas linguas adhibes, ut proferas verbum conceptum, illud autem quod corde conceperas, nulla lingua tenebatur. Cum ergo Deus loquens linguam non quæreret; et genus locutionis non assumeret, quomodo auditus est à Filio, cum ipsum Filium sit locutus Deus? Quomodo enim tu verbum quod loqueris, in corde habes, et apud te est, et ipsa conceptio spiritualis est: nam sicut anima tua spiritus est, ita et verbum quod concepisti, spiritus est; nondum enim accipit sonum ut per syllabas dividatur, sed manet in conceptione cordis et in speculo mentis: sic Deus edidit Verbum, hoc est, genuit Filium. (S. Aug., in Joann. Evangelium, tract. xiv, n. 7, tom. iii, fol. 1506.)

In principio erat Verbum. Tu revocas ad usum sermonationis tuæ, et dicis apud te: quid est verbum? Quid magnum est verbum? Sonat et transit; verberato aëre au-

rem percutit, postea non erit. Audi adhuc, Verbum erat apud Deum: manebat, non sonando transibat. Adhuc fore contemnis: Deus erat Verbum. Apud te ipsum, ô homo, cum est in corde tuo verbum, aliud est quam sonus: sed verbum quod est apud te, ut transeat ad me, sonum quasi vehiculum quærit. Assumit ergo sonum, imponit se quodammodo in vehiculum, transcurrit aërem, venit ad me, nec recedit à te. Sonus autem ut veniret ad me, recessit à te, nec perstitit apud me. Verbum ergo quod erat in corde tuo, numquid sono prætereunte præterit? Quod cogitabas dixisti; et ut ad me perveniret quod apud te latebat, syllabas sonuisti; sonus syllabarum perduxit ad aurem meam cogitationem tuam, per aurem meam descendit in cor meum cogitatio tua, sonus medius transvolavit: verbum vero illud quod assumpsit sonum; antequam sonares, erat apud te; quia sonuisti, est apud me, et non recessit à te. Hoc attende, quisquis es examinador sonorum. Verbum Dei contemnis, qui verbum hominis non comprehendis. (S. Aug., in Evangel. Joan., tract. xxxvii, n. 4, tom. iii, fol. 1671.)

De Verbo aliquid ago, et verbum humanum forte aliquid simile potest; quamvis longe impar, longe discretum, ex nulla particula comparandum, tamen vobis aliqua similitudine insinuandum. Ecce ego verbum quod vobis loquor, in corde meo prius habui; processit ad te, nec recessit à me: cœpit esse in te, quod non erat in te; mansit apud me, cum exiret ad te. Sicut ergo verbum meum prolatum est sensui tuo, nec recessit à corde meo: sic illud Verbum prolatum est sensui nostro, nec recessit à Patre suo, Verbum meum erat apud me, et processit in vocem: Verbum Dei erat apud Patrem, et processit in carnem. (S. Aug., serm. CXIX De verbis Joannis, n. 7, tom. v, fol. 675.)

Ecce quod dico, quod dicturus sum, hoc audite, hoc comprehendite verbum meum, hoc est, verbum humanum. Si autem nec hoc comprehendere poteritis, videte ab illo quam longe sitis. Certe miramur quomodo Christus carnem accepit, de virgine natus est, et à Patre non recessit: ecce ego qui vobiscum loquor, antequam ad vos venirem, cogitavi ante quod vobis dicerem. Quando cogitavi quod vobis dicerem, jam in corde meo verbum erat. Non enim vobis dicerem, nisi ante cogitarem. Inveni te Latinum, Latinum tibi proferendum est verbum? Si autem Græcus esse, Græce tibi loqui deberem, et pro-

ferre ad te verbum Græcum. Illud verbum in corde nec Latinum est, nec Græcum: prorsus antecedit linguas istas quod est in corde meo. Quæro illi sonum, quæro quasi vehiculum; quæro unde perveniat ad te, quando non recedit à me. Ecce audistis quod est in corde meo, jam est et in vestro. In meo est et in vestro est: et vos habere cœpistis, et ego non perdi. Sicut verbum meum assumpsit sonum, per quem audiretur: sic Verbum Dei assumpsit carnem, per quam videretur. Quantum potui dixi. Et quid dixi? Quoniam quis dixi? Homo loqui volui de Deo. Tantus est, talis est, ut nec eum loqui possimus, nec eum tacere debeamus. (S. Aug., serm. CCXXV, ad infantes, tom. v, fol. 1097.)

Et aurium quidam cibus sonus est, et ipse qualis, est? De his enim sensibus corporis mentis intelligibilia conjiciamus. Ecce loquor charitati vestræ: adsunt aures, adsunt mentes. Duo quædam nominavi, aures et mentes; et in eo quod loquor, duo quædam sunt sonus et intellectus: simul feruntur, simul ad aurem perveniunt: sonus remanet in aure, intellectus descendit in corde. Sed de sono ipso prius advertamus quanto excellentius intellectum amare debemus. Sonus est quasi corpus, intellectus est quasi animus. Sed sonus mox ut aërem percuserit, auremque tetigerit, transit, nec revocatur, nec adhuc sonat. Ita enim sibi syllabæ præeundo et sequendo succedunt, ut secunda non sonet, nisi prima transierit. Verum tamen sic quomodo quoddam transitorium magnum habet miraculum. Ecce enim si vobis esurientibus panem apponerem, non perveniret ad singulos; totum divideretis vobis quod posuissem, et quanto plures essetis, tanto minus haberetis. Modo autem sermonem profero, verba inter vos et syllabas non dividitis, nec secatis sermonem meum, ut alius tollat istam partem, alius illam, et sic minutatim et particulatim ad singulos quosque quod dico perveniat: sed totum audit unos, totum audiunt duo, totum audiunt plures, et quotquot venerint totum audiunt; et omnibus sufficit, et singulis integrum est: præparatur ad audiendum auris tua, nec eam fraudat vicina auris aliena. Si hoc fit de verbo sonante, quid fit de Verbo omnipotente? Quomodo enim vox ista nostra auribus omnium audientium singulis tota est et apud singulos tota est; nec tot sunt meæ voces quot vestræ aures, sed una vox multas aures implet, non divisa, sed omnibus tota; sic cogitate Verbum Dei totum in cœlis, totum in terris,

totum in Angelis, totum apud Patrem, totum apud Virginem, totum in æternitate, totum in carne, totum ad inferos, cum visitaret, totum in paradiso, quo latronem transtulit. Hæc dixi de sono.

Quid, si de intellectu aliquid dicam? Quanto minus est quam Verbum Dei? Ecce enim sonum profero; sed cum protulero, jam non revoco, sed si volo audiri, alterum sonum profero, et cum ipse transierit, profero alterum, aut silentium consequetur; intellectum vero et profero ad te, et teneo apud me; et invenis quod audisti, et non perdo quod dixi. Videte quam vera sint et *letetur cor querentium dominum*. Dominus enim ipsa principalis veritas est. Intellectus ergo manens in corde meo migrat ad tuum, nec deserit meum. Verumtamen cum intellectus inest cordi meo et volo ut insit etiam cordi tuo, quæro qua ad te transeat quasi vehiculum sonum; et assumo sonum, et quasi impono intellectum, et profero, et produco, et doceo et non amitto. Si potuit hoc facere intellectus meus de voce mea, non potuit Verbum Dei de carne sua? (S. Aug., serm. XXVIII, tom. v, fol. 188.)

Proinde verbum quod foris sonat, signum est verbi quod intus lucei, cui magis verbi competit nomen. Nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est; verbumque et ipsum dicitur, propter illud à quo ut foris apparet assumptum est. Ita enim verbum nostrum vox quodam modo corporis fit, assumendo eam in qua manifestetur sensibus hominum; sicut Verbum Dei caro factum est, assumendo eam in qua et ipsum manifestaretur sensibus hominum. Et sicut verbum nostrum ut vox, nec mutatur in vocem, ita Verbum Dei caro quidem factum est, sed absit ut mutaretur in carnem. Assumendo quippe illam, non in eam se consumendo, et hoc nostrum vox fit, et illud caro factum est. (S. Aug.: *De Trinitate*, lib. xv, cap. xi, tom. vii, fol. 1071.)

La idea de que el Verbo eterno se encarnó, en cierto modo, segunda vez tomando para cuerpo suyo la palabra del hombre, puede verse en la homilia XXXV de Orígenes sobre San Mateo y en el cap. xxxviii *De resurrectione corporum*, de Tertuliano.

Poder de Dios y cooperacion del hombre.

Ideo dixit ipsi Apostolus discernens operationem operariorum et Creatoris: Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Et adjunxit, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Si Deus intrinsecus incrementum non det, inanis est iste sonus ad aures vestras. Si autem det, valet aliquid quod plantamus et rigamus, et non est inanis labor noster. (S. Aug., serm. CLII, n. 1, tom. v, fol. 820.)

Et si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruscat, intus revelatur. Quid faciunt homines forinsecus annuntiantes? Quid facio ego modo cum loquor? Strepitum verborum ingero auribus vestris. Nisi ergo revelet ille qui intus est, quid dico; aut quid loquor? Exterior cultor arboris, interior est Creator. Qui plantat et qui rigat, extrinsecus operatur, hoc facimus nos. *Sed neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* (S. Aug., in Evang. Joann., tract. XXVI, n. 7, tom. III, fol. 1609.)

Se debe respetar siempre la palabra divina: el modo de anunciarla puede ser examinado con ciertas condiciones.

En el discurso de estas lecciones vamos viendo cómo los Santos Padres han juzgado y criticado á los malos predicadores, y el recto fin que se proponian con estas censuras.

San Agustin recomendaba con frecuencia á sus fieles la obligacion que tenian de oír con respeto la palabra divina, y de aprovechar las verdades que se les predicaban, cualesquiera que fuese la vida ó conducta del predicador. (In Joann., tract. XLV, n. 6, tom. III, fol. 1730.—Enarrat. in Psalm. XLIX, n. 23, tom. IV, fol. 580.—Sermón CLXXIX, n. 10, tom. V, fol. 971.)

LECCION IV.

Comparacion del Nazianceno y observacion de San Agustin.

Ipsi porro (Basilio) eloquentiæ studium accessionis dumtaxat ac velut corollarii cujusdam rationem habebat, hoc tantum scilicet ex ipsa fructus decerpenti, ut ejus

ope atque auxilio ad nostram philosophiam uteretur: quandoquidem ad explicanda animi sensa ipsius vis ac facultas requiritur mens enim, quæ id, quod sentit, verbis exprimere nequit, hominum torpore laborantium incessui haudquaquam dissimilis est. (S. Greg. Naz., Oratio XX, in laud. Basilii Magn., tom. I, fol. 294.)

Et tamen in sermonibus atque dictionibus eloquentium, impleta reperiuntur præcepta eloquentiæ, de quibus illi ut eloquerentur, vel cum eloquerentur, non cogitaverunt, sive illa didicissent, sive ne attigissent quidem. Implent quippe illa, quia eloquentes sunt; non adhibent ut sint eloquentes. (S. Aug.: *De Doct. christ.*, lib. IV, cap. III, tom. III, fol. 90.)

Verdadera y falsa elocuencia.

Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrymæ auditorum laudes tuæ sint. Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit: nolo te declamatorem esse et rabulam garrulumque sine ratione, sed mysterium peritum, et sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba volvere, et celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. (S. Hieronymus, Epist. XXXIV ad Nepot., tom. IV, part. II, fol. 262.)

«Quod genus captiosarum conclusionum Scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco, ubi dictum est: *qui sophisticè loquitur, odibilis est (Eccli., xxxvii, 23.)* Quamquam etiam sermo non captiosus, sed tamen abundantius quam gravitatem decet, verborum ornámenta consectans, sophisticus dicitur.» (S. Aug.: *De Doct. christ.*, lib. II, cap. xxxi, tom. III, fol. 58.)

Qui vero affluit insipienti eloquentia, tanto magis cavendus est, quanto magis ab eo in iis quæ audire inutile est, delectatur auditor, et eum quoniam diserte dicere audit, etiam vere dicere existimat. Hæc autem sententia nec illos fugit, qui artem rhetoricam docendam putarunt: fassi sunt enim sapientiam sine eloquentiam parum prodesse civitatibus; eloquentiam verò sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam. (S. Aug.: *De Doct. christ.*, lib. IV, cap. V, tom. III, fol. 91.)

Illud est molestum et periculosum vel perniciosum, si cum laudatur eloquentia, persuadeatur insipientia, et in